

Te quoq; digna manent laudum praecordia, cuius  
 Ex merito sponso tanta corona venit.  
 Aurea cui parent stellantis sidera caeli,  
 Aspiret tadis optima quaeq; nouis.  
 Producas sponso DEVS ô longissima vita  
 Stamina, des sobolem progeniemq; piam.  
 Tandem perfuncti fuerint ubi munere vita,  
 Caestes repetant, aethereasq; domus.  
 Optima quaeq; nouis sponso, ô Phabe, precaris,      VENVS.  
 Faxit, ut eueniant talia cuncta, DEVS.

Ioachimus Henningius, Lipsensis.

A L I V D.

**G**estio cum reliquis, mea nunc tibi sponsa pudica,  
 Vna cum sponso, vota precesq; dare:  
 Exornent vestras sanctissima Numina tadas  
 Has & diuina prosperitate beent.  
 Floreat in thalamo dulcis concordia vestro,  
 Floreat, & semper limen ad usq; cubet.  
 Aurea pax totisq; circumfusa per ades,  
 Et nexu stabili pectora vestra liget.  
 Nulla subintrabunt vestros nocumenta Penates,  
 Fausto sed vobis Sydere cuncta fluant.  
 Autor coniugij vobis det pignora lata,  
 Pignora, qua Matri, grata futura Patri.  
 Viuite felices tercentum Nestoris annos,  
 Atq; Sibyllinos continuare dies.  
 Multa precor paucis: Quot voluit Elister arenas:  
 Tot bona sint vestro conciliata toro.  
 Deniq; si placida claudetis lumina morte,  
 In sua vos capiat Caelica regna DEVS.

Leonhardus Schyveickerus Sponsae Fr.